

## Quae ratio intercedat inter Moretum carmen et priora opera Vergiliana.

E minoribus carminibus, quae in Appendice Vergiliana exstant, vix unum reperimus, quod mira venustate et lepore, simplici nec quaesito verborum ornatu, lucido rerum ordine Vergilio dignius sit quam Moretum. Forma carminis incompta, ut ita dicam, sed poetica est neque oratoriam dicendi vim in illo invenimus Vergilianam, qua multi e Vergilii carminibus loci minus iucundi fiunt. Deinde imprimis magnam suavitatem ea res affert, quod poeta minimas etiam totius actionis partes acute eleganterque exprimit, ut ingenium artificiumque insignis poetae, qui tenuissimae humillimaeque rei copiam praestare possit, haud difficulter appareat. Poeta illo carmine primam partem diurni et rustici operis describit. Simylus rusticus ad primum galli cantum surgit, hesterni ignis cineres in foco suscitatur, lumen accendit, e cella frumentum de acervo sumit, quod mola terit. Deinde Cybalen Afram advocatam panem, quem farina cribrata et aqua tepenti formaverat, coquere iussit. Tum Simylus herbas sibi comparat, quibus prandium suum parat. Allium, apium, rutam, coriandrum in mortario mixta Simylus pistillo operose terit, caseo, oleo, aceto addito contrahit. Interea panis coctus est; parato sibi pane et obsonio eius diei Simylus boves in agrum educit ad arandum.

Cum Vergilii Eclogis et Georgicis illi idyllio rustica et simplex materia communis est, vigore autem et alacritate eius carmina inferiora sunt. Moretum in codice Bembino 'iocus iuvenalis' Vergilii nominatur, qua de causa imprimis de Eclogarum atque Georgicon dicendi genere versuumque structura quaestio instituenda est, cum illa Vergilii opera tempore, quo conscripta sunt, Moreto proxima sint.

Ac primum quidem in Moreto non parvus vocabulorum numerus invenitur, quae in Vergilii operibus omnino non exstant; sunt autem haec: excubitor v. 2, sensim, grabatus v. 5, remaneo v. 6, 41, lucerna v. 10, mensura v. 17, excurro v. 18, tabella v. 19, praeverro 23, unicus 31, exilis, spatiosus 35, calcaneum 36, versatilis 39, cribrum 40, purgamen 41, foramen, liquo 42, emundo 43, transverso 46, grumus 47, dilato 48, carnarium 56, spartum 58, casula 61, 67, redivivus 62, locuples 65. Praeterea hae voces: sumptus, beta, rumex, malva, inula, venalis, urbanus, macellum, caepa refodio, nodosus, inspargo, mica, deperdo, prandium, convicium, instillo, acetum, moretum, sedulus, panis, loratus. Certe igitur notandum est, quod tot brevis Moreti carminis vocabula in Vergilii carminibus non inveniuntur.

Alia notione sive constructione in Vergilii Eclogis et Georgicis usitata sunt haec vocabula: v. 4 ‚tristia venturae metuens ieiunia lucis’ Hoc loco vocabulo ‚ieiunia’ notio inest ‚Hunger’, quam Vergiliano loco (Georg. III 128) non habet, sed ibi vertendum est: ‚Abmagerung. v. 6 ‚tenebras explorat inertes’. Verbo ‚iners’ hoc loco poeta translate utitur; pertinet enim ad tempus, quo nihil fit. Quam notionem in Vergilii operibus non invenimus, sed apud Horatium sat. II 6, 61 inertibus horis, carm. IV 7, 12 bruma iners. Vergilius pro hac voce ‚ignavus’ utitur, cf. Georg. I 299 hiems ignava colono. Vocabulum ‚langueo’ (v. 12) apud Vergilium notionem habet ‚schlaff sein, matt sein’, in Moreto ‚schlummern’, cf. Georg. IV 252. Pro hac voce utitur Vergilius vocabulo ‚sopitus’, Aen. V 743 sopitos suscitatur ignes

Vocabulum ‚libra’ (v. 18) apud Verg. uno tantum loco exstat: Georg. I 208, quo loco non notionem ‚Pfund’ ut in Mor. v. 18, sed notionem ‚Sternbild der Wage’ habet. Nusquam autem talis verborum coniunctio de mensura dicta nobis occurrit ut in Mor. v. 18: excurrere in bis octonas libras. Voci ‚mola’ apud Vergilium non notio ‚Mühle’ inest, sed ‚Opfermehl’, cf. Ecl. VIII 81 sparge molam. Constructio ‚adsistit mola’ (v. 19) in Eclogis et Georgicis nusquam occurrit. Georg. IV 319 cum praepositione ‚ad’ coniungitur; coniungitur etiam cum ‚super’ (Aen. X 490), ‚supra’ IV 702. Pro verborum coniunctione (v. 26) ‚conciat orbem’ apud Vergilium Georg. I 153 legimus: orbem rapere, III 424 orbem trahere, Aen. XII 481 orbem legere, XII 763 orbem explere.

v. 28. succedit laeva sorori. In Vergilii carminibus locus non invenitur, quo ‚soror’ dictum est de rebus similibus sive arte coniunctis. Neque exstat in Vergilii carminibus haec particularum coniunctio: ‚modo — interdum’. Deinde a Vergiliano dicendi genere aliena sunt verba v. 45. ‚contrahit admixtos tum fontes atque farinas.’

v. 56: ‚Simylus interea vacua non cessat in hora’. A Vergilio adiectivum ‚vacuus’ attribuitur vocabulis, quae locum aut sensuum actiones, non tempus significant: cf. Georg. I 62 vacuus orbis, II 54, II 287. In eodem versu exstat verbum ‚vacare’, quod hoc loco eandem notionem habet atque ‚in praesto esse; apud Vergilium autem valet ‚verödet sein’, cf. Georg. III 477.

v. 61 ‚vimina pauca’. A Vergilio vocabulum ‚pauca’ semper substantivorum more adhibetur. v. 71 ‚summittere rivos’. Hoc loco illa verba valent ‚Die Bäche ableiten’, apud Vergilium autem valet ‚summittere’ = ‚aufwachsen lassen, aufziehen zur Zucht.’ Ecl. I 45 summittite tauros. Georg. III 73. Apud Vergilium pro ‚summittere rivos’ dictum est ‚inducere deducere’: Georg. I 106, I 269. ‚Contractus’ (v. 79) dictum de hominis vitae genere in Vergilii operibus non invenitur. v. 94 ‚nudare’ coniunctum est cum ablativo et accusativo, a Vergilio autem nusquam cum ablativo

coniungitur, hoc autem loco (Georg. II 7: nudataque musto fingue novo mecum dereptis crura cothurnis) Vergilius consulto ablativum vitasse videtur adiciens ‚dereptis cothurnis‘.

Quae voces verborumque coniunctiones, quas modo attulimus, in Vergilii operibus quidem inveniuntur, sed alia notione sive constructione. Hasce vero verborum coniunctiones in Eclogis et Georgicis omnino non invenimus: v. 1 nox peregerat horas, v. 5 membra levare, v. 13 fulgorem concipere, v. 22 praeverrere aliquid, v. 47 opus subigere, v. 68 labor cessat, v. 85 vultum trahere, v. 107 spiritus iaculatur nares apertas, v. 109 lumina tergere (Verg. semper utitur ‚tergere‘.)

Proprietas dicendi generis invenitur v. 38: imperat et flamma gelidos adolere liquores. A Vergilio aliisque eius aetatis scriptoribus illud verbum dicitur de sacrificando, cf. Ecl. VIII 65, Aen. VII 71, Ovid. met. VIII 740. Et Nonius (p. 380 L. M.) ad hoc verbum consulto adnotat: et est verbum sacratum ut macte, magis aucte. Vocabulum ‚calcanea‘ (v. 36) in Vergilii operibus nusquam occurrit. M. Hauptius (Quaest. Catull. p. 38) id vocabulum ante quartum a. Chr. n. saeculum non inveniri docet; sermonis rustici illud proprium esse verisimile est. Idem cadit in vocem ‚spatiosus‘.

Propria porro Moreti carminis sunt vocabula deminutiva: vv. 61, 67, casula, 66 recula, 8 parvulus, 19 tabella. V. 75 legimus: gelidum papaver. Sed non satis apparet, quae notio hoc loco vocabulo ‚gelidus‘ insit. In Verg. libris significat ‚kalt, kalt machend‘, cf. Georg. IV 509 gelidum antrum, Ecl. X 42 gelidae fontes. v. 122 ambit crura ocreis. Nusquam ambire dictum est de vestiendo ut hoc Moreti loco.

Haec sunt vocabula verborumque coniunctiones, quae in Eclogis et Georgicis vel omnino non, vel raro, vel alia notione vel constructione exstant. Praeterea Moreti auctor permulta vocabula sermonis rustici in carmen recepit, quod in Vergilium non accidit quaque re Moreti auctor a Vergilio differt. Poeta id egit, ut omnem rem iusto nomine significaret, saepius etiam, ut aliquid leporis afferret. Quae sermonis vulgaris verborum coniunctiones atque vocabula imprimis apud Vitruvium, ‚apud belli Hispaniensis et Africani auctorem, apud Petronium. Columellam, Apuleium saepissime nobis occurrunt. In Moreto sermonis vulgaris vocabula vel elocutiones leporem afferentes invenimus: v. 5 grabatus. v. 38 adolere v. 36 calcaneum. Sermonis rustici vocabulum est etiam ‚emundare‘ v. 43 Saepissime eo vocabulo utitur Columella, cf. II 15, 7; IX 14, 7; XI 2, 71. Deinde v. 47 ‚grumos spargit sale‘ ‚Grumus‘ exstat apud auct. belli Hisp. c. 24, Colum. II 17, 4; Vitruv. II 1, 5. Ut ‚emundare‘, ita etiam ‚mundare‘ (v. 50) sermonis vulgaris vocabulum est, cf. Plin. Nat. hist. XXXIII 6, 34. Colum. XII 3, 8 Deinde sermonis vulgaris sunt voces deminutivae: v. 61, 67 ‚casula‘; quod vocabulum exstat etiam in Plin. Nat. hist. XXXV 37, 6; Petron. sat. c. 44 in fine. ibid. c. 46, c. 77, c. 111, Apul. met. IV 6. Altera vox deminutiva occurrit in v. 66 ‚recula‘; exstat etiam Apul. met. IV 12, Salvian. Avar. IV 8, 44.

Tum a Vergilii in Eclogis et Georgicis dicendi genere aliena sunt numeri plurales, qui in Moreto pro versuum numero creberrimi exstant: v. 4 ieiunia, 11 stuppas, 15 ostia, 20 illos in usus, 23 gremium molarum, 37 focis, 38 liquores, 40 farinas, cribra, 44 tepidas undas, 45 fontes atque farinas, 51 testis, ignes, 56 carnaria, 57 terga, 67 pluviae, 74 porra, 116 mortaria, 108 prandia.

Figurae atque artes rhetoricae, quibus Vergilius saepissime utitur, in Moreto plane desiderantur. Exempli gratia in Moreto non amplius una antithesis quam vocant invenitur: v. 82. Neque comparationes in Moreto exstant. Interrogatio rhetorica una tantum exstat v. 79: quis enim contractior illo? Anaphora bis invenitur: vv. 67, 68 particula ‚si‘ iterata est, vv. 72, 74 ‚hic‘. Cum hoc loco (v. 72) herbae enumerentur, anaphora certe non quaesita est. At cum iis locis comparemus Ecl. II 8—16; In his versibus (octo) Vergilius omnibus fere figuris utitur: antithesi sententiae v. 8, antithesi verborum v. 16, interrogationibus rhetoricis v. 14—16, anaphoris v. 8, v. 9. In prima Ecloga vel consulto anaphora utitur Vergilius dicens ‚sic‘ pro ‚ut‘: Ecl. I 22 squ. Saepissime illae figurae etiam in Georgicon libris inveniuntur: Georg. IV 464, IV 215, IV 112, IV 128, IV 261, IV 504.

Iam quaerendum est, quae similitudines inter Moretum carmen et Vergilii Eclogas atque Georgica intercedant. Primum quidem et sententia et verbis simillimus est locus Mor. v. 82, inde domum cervice levis, gravis aere redibat’ cum Ecl. I 35 ‚non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat. Deinde comparandi sunt versus Mor. 67—68: si quando vacuum casula pluviaeve tenebant cum Georg. I 259 frigidus agricolam si quando continet imber. Et Moreti auctor et Vergilius irrigationes diebus festis licitas esse dicunt:

Mor. v. 71: vicinosque apte curvans summittere rivos.  
Georg. I 269: rivos deducere nulla religio vetuit.

Tum cf. Mor. v. 30: ‚agrestique suum solatur voce laborem‘ cum Georg. I 293 interea longum cantu solata laborem. Et Moreti auctor et Vergilius utuntur forma ‚intubum‘ pro ‚intubus‘: Mor. 86, Georg. I 120, IV 120.

Similitudines inter Moretum et Vergilianos locos allatos, quia Moretum non amplius CXXIV hexametris constat, quidem non plane contemnendae, sed non tales sunt, ut certo ex iis concludere possimus. Si vero Moreti auctoris dictionem genusque dicendi cum Vergilii in Eclogis et Georgicis dictione adhibita comparamus, Moretum imprimis insigne est simplicitate generis dicendi. Simylus atque Scybale ancilla tanta singularitate describuntur, quanta nemo pastor mollis Vergilianus. Moretum carmen enim non amplius poetici ingenii fructus est, sed parvum opus, ut nos dicimus ‚Genrebild‘. Insigne autem est carmen venusta vitae rusticae descriptione. Omissa sunt fabularum integumenta. Quae quidem res argumenti generi vindicanda est, in quo

fabulosarum rerum occasio immiscendarum non datur. Poetae animus a doctrina et nimia urbanitate abalienatur et ad simplices vitae formas convertitur, ad tranquillam vitae rusticae suavitatem. Auctor simplicissimum argumentum sibi delegit non e celebri vita urbana, sed e vita pauperis coloni tranquilla sumptum. Ouare Moretum carmen quasi Alexandrino more confectum esse putemus. Notus est mos ille Alexandrinus, ut singularum rerum descriptio totam fere materiam superaverit, qua in re argumentum ipsum quam brevissime transigebatur.

Videamus igitur, quatenus in Moreto carmine singularum rerum descriptio inveniatur. Quam dilucide atque singulas partes persequens poeta initio carminis Simylum, colonum rusticum, describit, ut oculis fere eum tarde surgentem ex humili cubili, manibus in tenebris palpantem, caput illidentem, ignem elicientem videamus! Eadem subtilitate Scybale Afra, Simyli serva, describitur. Versus, quibus hominis forma tam diligenter verbis exprimitur, ut eam ob oculos fere versantem videamus (v. 31—36), in omnibus Vergilii carminibus frustra requiras. Quae subtilitas describendi per totum fere carmen ducta est, imprimis in pane coquendo Scybalem prorsus videre possumus. Nullum panis coquendi momentum a poeta praetermissum est. Optime autem haec describendi subtilitas poetae contigit, ubi Simylus herbas, eas ad moretum parandum in horto collegit, purgat atque in mortarium inicit. In Simyli manu pistillum in mortario circumeuntem, acrem herbarum odorem in Simyli nares ascendentem, Simylum lacrimas extergentem videmus atque propter acrem odorem prandium suum devoventem audimus. Qua in re poetam ab actione principali paululum degressum esse animadvertimus. Nam carmen 'Moretum' inscribitur. Auctor autem minoris momenti rem, panem coquendum, eadem subtilitate describit atque prandium parandum, quod inde a versu 60 describitur. Moreto carmini imprimis proprium est simplex atque naturale dicendi genus studiumque cuiusvis rei suo nomine appellandae. Maxime etiam in hoc dicendi genus convenit Lepor, qui per totum fere carmen perductus est. Quis non rideat legens odorem herbarum acrium in Simyli nares et oculos ascendere et prandium a colono ob eam rem devoveri? Saepe poeta ridiculum quoddam et iocosum adfert vulgares atque communes res insuetis ac tumidis verbis significans: v. 13 concepto fulgore, 23 gremium molarum, 24 advocat inde manus operi, 35 spatiosa prodiga planta, 39 postquam implevit opus iustum versatile finem, v. 41 summo dorso (quo loco dorsum dictum est de copia farinae). Poeta his locis verba maiores res significantia minoribus rebus attribuit.

In Vergili Eclogis et Georgicis autem iocosi loci rari sunt. Leporis aliquid animadvertimus Ecl. II 17. Deinde etiam iocosum esse videtur, quomodo Vergilius verba, quibus Cyclops (Theocr. idyll. VII) Galataeae amorem suum confirmat, in suam partem transtulerit: Ecl. II 69:

Corydon, Corydon, quae te dementia cepit?

Theocr: ὦ Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾶ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;

Restat, ut de versuum structura atque elisionibus quaeramus, ut ex similitudine sive diversitate dicendi generis atque versuum structurae aut auctorem ipsum aut quibus temporibus Moretum conscriptum sit requirere possimus. Cum in nonnullis operibus Augusti aetate conscriptis alliterationes sive quaedam litterae consonantes (r, s) praevalent, quibus carmina exornentur, Moreti auctor illis ornamentis plane non utitur. Moreti auctorem in versibus componendis multo diligentiore fuisse quam Vergilium cognoscemus.

Lex metrica principalis haec est: priores quattuor hexametri pedes quam maxime diversum habere a pedestri accentu ictum metricum. Quare non prorsus est laudatum primum aut quartum pedem dactylica constare voce et minus etiam spondiaca, qua nimis gravati et tardati pedestres fiunt numeri. In Moreto primus pes dactylica voce constans vicies ter invenitur: vv. 3, 4, 8, 10, 12, 21, 22, 24, 34, 35, 38, 45, 53, 68, 86, 89, 94, 99, 101, 102, 108, 117, 119. Primus pes una spondiaca voce constans quinques nobis occurrit: vv. 13, 40, 50, 113, 122; duobus verbis constans invenitur quater: v 1 (iam nox). 55, 79, 106. Quartus pes constat ter voce dactylica (vv. 15, 29, 64), ter voce spondiaca (vv. 58, 89, 104). Iam, quod ad hanc legem metricam pertinet, comparemus Moretum cum Verg. Eclogis et Georgicis. Ratio, quae intercedit, haec est:

			Ecl. De primo pede dactyl.) 1:5
Mor. {	De primo pede (dactyl.) 1:5 <sup>9/23</sup> " " " (spond.) 1:13 <sup>7/9</sup>	Verg. {	" " " " (spond.) 1:22
			Georg. I. " " " (dactyl.) 1:3 <sup>85/74</sup>
			" " " " (spond.) 1:7 <sup>19/84</sup>

De quarto pede:

Mor. {	dactyl. 1:41 <sup>1/3</sup> spond. 1:41 <sup>1/3</sup>	Verg. {	Ecl. dactyl. 1:7 <sup>1/3</sup>

Legem metricam, quartum semipedem cum quinto puram anapaesti formam referre, Moreti auctor nusquam laesit, a Vergilio autem illam legem aliquotiens non esse servatam videmus: Ecl. II 53 Addam cerea pruna, V 19, Georg. II 61, III 344, IV 448 et a. l. Etiam haec metrica lex, quintum pedem cum sexto dactyli ac trochaei formam referre debere, a Moreti auctore accuratissime servata est. Tum etiam omnes Moreti hexametri vocibus finiuntur, quae compluribus syllabis constant.

Praeterea Moretum carmen imprimis insigne est elegantia, qua auctor in verbis singulorum versuum disponendis usus est. Nam optimi temporis poetae imprimis id appetebant, ut finem prioris partis hexametri penthemimeresi divisi alterius partis fini similem facerent. Quam ob rem poetae in exitu utriusque hexametri partis saepe verba inter se respondentia posuerunt (substantivum — attributum cum illo congruens): Mor. v. 1 hibernas — horas, 3 exigui — agri, 4 venturae — lucis, tum etiam vv. 5, 9, 10, 18, 25, 26, 28, 30, 32, 49, 58, 59, 62, 70, 75, 78, 79, 83, 84, 85, 86, 91, 107, 108, 112, 113, 116, 117, 118, 121, 123. Ratio igitur, quae intercedit, haec est: 1:3<sup>11/17</sup>. Quod ad Verg. Eclogam secundam attinet, ratio

est  $1:5\frac{3}{8}$ , in Ecl. IV 1:4, in Ecl. X  $1:3\frac{6}{7}$ , in Georgicon libro I  $1:5\frac{20}{97}$ . Vergilius autem illi versuum elegantiae haud ita multum tribuisse videtur.

Iam de caesuris agamus. Caesura, qua poetae saepissime utuntur, penthemimeris est. Quam in Moreto duodecenties invenimus caesuram principalem, hepthemimeris autem cum trithemimeri coniuncta invenitur vicies semel, hepthemimeris sine trithemimeri ter. Tres igitur versuum formae sunt. Ratio inter formam primam et secundam haec est:  $1:5\frac{6}{7}$ . In Verg. Eclogis inter primam et secundam formam hanc rationem invenimus (Th. Birt, de historia hexametri latini, Bonn 1877): 1 (Form. sec.):  $7\frac{11}{15}$  (f. pr). Comparantibus igitur nobis has duas rationes haud parva in versibus componendis diversitas inter Moreti auctorem et Vergilium existit. Magis autem perspicua fit diversitas metrica inter Moreti auctorem et Vergilium ea re, quod in Moreto nusquam hexameter invenitur, qui sola caesura *κατὰ τρίτον προχῶν* dividatur, quod in Graeco hexametro non raro evenit.

Iam ad eam partem quaestionis venimus, qua de elisionibus agamus. In Moreto elisio hiatus vitandi causa undevicies nobis occurrit: vv. 19, 37, 39, 54, 60, 69, 71, 73, 77, 79, 83, 86, 87, 96 (ter), 115, 122, 124. Ratio igitur in Moreto haec est:  $1:6\frac{10}{19}$ . Multo saepius Verg. elisione utitur quam Moreti auctor; nam in prioribus quinque Eclogis ratio est:  $1:3\frac{81}{113}$ , in Georgicis  $1:2\frac{32}{241}$ .

Egimus modo de numero, elisionum; nuc de qualitate earum agamus. Mitior est elisio, si verba coeuntia particulis arte coniunctis constant, ut ‚paulo, ante, ergo, ego‘; durior autem fit in talibus vocabulis, quae propter sententiam aut propter metrum dissolvi necesse est. Deinde poetae vocalium concursum potius admiserunt praecedente syllaba correpta quam longa, imprimis autem caverunt, ne verba monosyllaba longa cum correpta copularent sequente. Tum elisio initio hexametri saepius invenitur quam in posterioribus pedibus. Quae leges metricae a Moreti auctore satis bene servatae sunt. Maximam partem particularum vocalis sive syllaba ultima eliditur: octies ‚atque‘ sive ‚que‘, bis ‚verum‘, semel ‚postquam‘, ‚ergo‘, ‚umquam‘.

Syllaba longa eliditur ante brevem in v. 69: horti opus. Quia autem duo illa verba unam notionem efficiunt, elisio non est gravis. Deinde v. 60 ergo aliam. Haec quoque elisio facile excusanda est, cum vocalis o modo longa (apud Vergil.), modo brevis (apud Ovid.) inveniatur. v. 77: crescit quæ in . . . .; qui versus corruptus est, cum alii libri manu scripti aliam lectionem exhibeant.

Loci denique hexametri, quibus elisio crebrius admittitur, hi sunt: thesis primi pedis, secundi arsis, quartus hexametri pes. In Moreto elisio exstat in prima thesi pedis primi octies, in secunda arsi ter, in quarto pede ter, in secunda thesi quinquies. Nusquam autem vocalis in prima arsi neque in tertio vel quinto vel sexto versus pede eliditur. Sed iam quaeramus, quatenus Vergilius has tres leges metricas servaverit. Ut iam supra

diximus, elisio in prioribus quinque eclogis versibus CDXX constantibus centies decies ter exstat, ut ratio existat in Eclogis 1 :  $3^{81}_{113}$ , in Georgicis 1 :  $2^{32}_{241}$ ; in Moreto autem est 1 :  $6^{10}_{10}$ . Videmus igitur a Vergilio multo saepius elisionem adhibitam esse quam a Moreti auctore.

Et quod ad secundam legem metricam, quam supra nominavimus, attinet, Vergilius non tam accuratus fuit. Apud Vergilium enim multo plures quam in Moreto locos invenimus, quibus syllaba longa aut media ante brevem eliditur aut verbum praecedens monosyllabum est, cf. Ecl. III 37 divini opus, III 88 Pollio et, V 38, IV 12, Georg. I 63, Ecl. VII 27 si ultra, IX 22 te ad, Georg. II 135; 170; Ecl. I 40 me exire, II 25; 43; III 48, III 74, V 9; tales elisionis formas in Moreto non invenimus.

Neque in tertia lege metrica Vergilius aequè accuratus fuit atque Moreti auctor. Nam in Vergilii Eclogis et Georgicis elisiones non solum in thesi secundi pedis, sed etiam in primo, tertio, quinto, sexto pede adhibitas ase invenimus. In prioribus CXXIV versibus secundi Georgicon libri — totidem versus sunt atque in Moreto — LVII elisiones exstant, quarum XXVI — dimidium fere — contra optimum usum adhibitae sunt, cum in totidem Moreti versibus non amplius V minus elegantes nobis occurrant; Verg. Ecl. I 13 protinus aeger ago : hanc (in secundi pedis thesi); deinde etiam Ecl. I 15, II 9, III 6, 10, 25, 26 etc.; post tertii pedis arsin: Ecl. II 11 allia sepullumque herbas, III 74, Georg. II 17, 18, 39: in tertia arsi: Georg. II 62; in prima arsi: Ecl. III 48; in thesi quinti pedis: Ecl. V 6; in sexta arsi: Ecl. V 25.

Nunc videamus, quid de auctore ipso sive de tempore, quo carmen conscriptum sit, requiri possit. Opiniones virorum doctorum de Moreti auctore inter se diversae sunt. Quamquam omnes fere libri manu scripti Vergilii nomen exhibent, tamen alii viri docti illis codicum notis omnem fidem derogant, alii Vergilii esse putant. Cum cetera Appendicis Vergilianae carmina Vergilio adscripta esse complures scriptores Romani testentur, Moreti testes solum libros manu scriptos et scholium codicis Ambrosiani nominare possumus. Quod scholium est: Parthenius Moretum scripsit in Graeco, quem Vergilius imitatus est'. Diversitate stili, magis autem metrica diversitate Moretum Vergilii non esse verisimile est. Moreti auctor enim permulta vocabula et verborum elocutiones sermonis vulgaris in carmen suum recepit, ut leporem efficeret et unam quamque rem suo nomine appellaret. Deinde Moretum etiam subtilitate describendi a Vergilii prioribus carminibus diversum est. Tum imprimis leges metricae multo maiore, ut intelleximus, diligentia a Moreti auctore servatae sunt. Quia Vergilius in hac re minus accuratus erat, Moretum post Vergilii mortem conscriptum esse verisimile est, cum in illo carmine accuratiorem versuum structuram inveniamus, sed non longe post eius mortem scriptum esse potest propter versuum elegantiam atque curam. Quae sententia comprobatur etiam temporis indicio, quod in ipso



carmine invenimus quoque Septimium Serenum auctorem Moreti esse non posse dilucide apparet: Qui versus est 76:

„Grataque nobilium requies lactuca ciborum”. Quem versum si cum Martial. XIII 14 (ed. Schneidewin)

‘Claudere quae cenas lactuca solebat avorum,

Dic mihi, cur nostras incohat illa dapes?’ comparamus, tempus, quo Moretum conscriptum sit, concludere possumus. Martialis poetae temporibus nobiles Romani lactuca ad gustandum utebantur, cum Moreti auctoris aetate cena Romanorum lactuca finiretur. Quare auctor non Septimius Serenus esse potest, ut Scaliger coniecit, sed auctorem ante Martialis aetatem vixisse oportet. Recedentes igitur ad Martialis ‚avorum’ tempora pervenimus ad aetatem imperatoris Augusti exeuntem; inam Martialis ‚Xenia’ intra annos 84—86 p. Chr. n. conscripta sunt. Ipsum vero carminis auctorem exquirere non possumus, quia in carmine ipso nulla res, qua illa quaestio firmetur, invenitur.

